

tinēt verò hūc ideā , quæ ab objectis externis præsentibus cerebrum ingrediuntur; ut cum e. g. oculus meus arborem adspicit, tunc in oculo arboris imago depingitur, quæ in cerebrum transit, animamque meam excitat , ut de objecto præsentis cogitare incipiat. Ita etiam cum figuram amblygonium, vel parallelogrammum adspicimus, tunc harum figurarum ideæ, uti extra sunt, in cerebro exprimuntur, atque mens nostra eas præsentis intuetur. Pertinent hūc etiam ideæ imaginatæ, quæ à prioribus desumptæ videntur; hæc licet res longè absentes significant, attamen eas mens ut præsentis considerare potest, ut cum v. g. plantam Americanam, quam nunquam vidimus, nobis repræsentamus, vel cum hanc vel istam personam absentem, quam antea adspeximus, nobis imaginamur. Tandem hūc etiam pertinent omnia, quæ mentem vivide afficiunt, ut cum gaudemus, dolemus, amamus. Dolor &c. afficit quidem animam, sed nullam relinquit imaginem. Omnia, quæ nobis hisce modis recensitis obveniunt, obscuram in intellectu faciunt lucem, & omnia, quæ secundum hæc judicantur, non ita vera sunt, ac ea, quæ clarè & distinctè intelligimus.

§. XIII.

Species
de ex
372
Alterum, quod in lunâ deprehendimus, cuius adspicienti ad oculum patet, est istud lumen, quod à sole accipit, cum ejus altera facies huic obversa tota illuminatur, licet à nobis quandoque aliqua pars istius tantum adspiciatur. Huic lumini in mente nostra respondet istud lumen, quod *Dominus de Tschirnhaus* conceptionem vel intellectum nuncupat, atque ab eodem in rationem, quæ abstracta ab omni materia, & purum intellectum, qui realia considerat, distinguitur confer *Medic. Ment. & Corp. Part. II. Sect. II. p. m. 77. Dn. Malebranche* hoc lumen appellat l' Entendement pur, pures intellections ou pures perceptions vid. *Recherche de la Verité Tom. I. L. I. ch. 4. p. m. 26.* Quid verò hoc lumen sit, & in quò consistat, certò determinare difficile videtur. Quidam perhibent, egredi è corporibus imagines, quæ per sensus tanquam per animi fenestras ad cerebrum transeunt in vi imaginatrici depinguntur, quæ imagines species impressæ vocantur; hæc impressione factâ intellectum percipere & se ad phantasma convertere, atque ex eò aliam imaginem per distillationem quasi exprimere, quæ imagines species expressæ nuncu-

B

pan-